(30

ALOYSII RUFFO
DE CALABRIA
EX PRINCIPIBUS SCYLLÆ

MISERATIONE DIVINA

S. R. E. PRESBYTERI CARDINALIS

ET

ARCHIEPISCOPI NEAPOLITANI

AD CLERUM SÆCULAREM, ET REGULAREM, OMNEMQUE SUÆ NEAPOLITANÆ ECCLESIÆ FIDELIUM CŒTUM

EPISTOLA PASTORALIS



NEAPOLI MDCCCII.
Typis Faustini de Bonis Typogr. Archiep.

ALOYSIUS RUFFO DE CALABRIA

EX PRINCIPIBUS SCYLLÆ

MISERATIONE DIVINA

S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS

ET

ARCHIEPISCOPUS NEAPOLITANUS

VENERABILIBUS FRATRIBUS, CAPITULO, CLERO, POPULOQUE NEAPOLITANÆ ECCLESIÆ

Salutem in Domino sempiternam

QUandoquidem, Fratres, Filiique dilectissimi, Supremo animarum nostrarum Pastori Christo Jesu, per ejus in terris Vicarium, Sponsæque suæ Universalis Ecclesiæ Moderatorem, & Ducem, proponente Serenissimo, Pientissimoque Rege nostro Ferdinando IV., placuit Nos a quiete, privatæque vitæ tranquillitate, quam, arduis difficillimorum temporum Legationibus pro Romana Ecclesia functis, frui jam sperabamus, inopinato excitare, & ad Vestræ capessendum Ecclesiæ regimen mittere: non sine maxima, fatemur, animi Nostri commotione, formidineque ad aratrum manus audemus extendere; sicut non sine pergrandi mœrore onus illud *angelicis humeris formidandum* subire vix animo Nostro induximus. Quid, quod anxietatis, timorisque laxant habenas, qua Regiæ Civitatis amplitudo, Ecclesiæ Neapolitanæ celebritas, Cleri ejus nitor, cultusque, splendor familiarum, Accolarum, Incolarumque exculta, nullique Europæ Urbi secunda ingenia: qua tenuitatis Nostræ, reique tantæ novitatis adspectus? Ast jam obedientiæ remigio vectis jacta est alea: non erimus aliquid sufficientes ex Nobis, quasi ex Nobis, sed omnis sufficientia

Nostra ex Deo erit (1), a quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendere ex Apostolica institutione didicimus.

2. Sollicitudinis itaque, Fratres, adsignatam partem talibus auspiciis amplexantes, illud primitus Nobis dictum intelligimus, quod olim Jeremias, super Populo Dei similiter constitutus, divinitus excepit: *Ecce constitui te hodie super gentes, ut evellas, & destruas; ædifices, & plantes* (2); vel quod in Petri persona cunctis gregis sui Pastoribus præcepit Dominus: *Pasce oves meas: pasce agnos meos* (3); pabulis nempe evangelicæ doctrinæ, nutrimento salutis: Oves autem, & Agnos commendavit simul Pastori, ut intelligeret nullum ab ejus cura voluisse subtractum. Hinc Martyr Cyprianus Ecclesiæ rationem *ita decurrere* docuit, *ut Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur* (4): *Neque aliunde obortas hæreses, aut nata schismata* autumabat, *quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur; nec unus ad tempus judex vice Christi cogitatur* (5). Et Hieronimus Nepotianum instruens ei præcipiebat: *Esto subjectus Pontifici tuo, & quasi animæ parentem suscipe* (6).

3. Hanc autem Nos dignitatem, potestatemque a Domino consecuti, hoc maxime pertimescimus, Fratres, ne aliquando erubescere detur *minimos inveniri in magnis, qui non fuerimus recordati magnos in minimis extitisse* (7). In Cathedra namque positi, illam, ut vere specula est, considerantes, superintendimus Episcopi nomine non dominium, sed officium exhiberi; ministeriumque nobis impositum, non dominationem (8). Manet alta mente repostum, quod alias per Oseam de Populi sui principibus que-

(1) II. Corinth. 3.
(2) Jerem. 1. 10.
(3) Johan. 21. 15.
(4) Epist. 33. Oxon in princip. epit. 27. ed. 1726.
(5) Id. Epist. 55. ante med. ed. cit.
(6) Hier. Epist. ad Nepotian. post mediet.
(7) S. Bern. de Consid. Lib. II. cap. 5.
(8) Id. Ibid.

querebatur Deus: *Ipsi regnaverunt, & non ex me, principes extiterunt, & ego non cognovi* (1). Præceptum autem ipsius Domini, & Legislatoris cognoscimus: *Qui major est vestrum fiat sicut junior*; & qui *præceptor est, sicut qui ministrat* (2): Exemplumque ejus accipimus: *Ego autem in medio vestri sum, sicut qui ministrat* (3). Presto etiam Nobis est gloriatio Pauli, qui Caput Pastorum optime imitatus adfirmare poterat: *Ministri Christi sunt, ut minus sapiens dico, plus ego*: Att hæc illius laus: *in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter* (4): O præclarum Apostoli ministerium! *Felix, qui dicere potuit, plus omnibus laboravi* (5)! Felix qui non putavit *gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi* (6). Qui igitur in Prophetarum, qui in Apostolorum locum, divina sic disponente ordinatione, successimus, Patrum hæreditatem Nobis non vindicabimus? Alia contenti erimus mensura, quam Nobis mensus est Deus? Objurgationem Domini excipiemus, quam de Operariis non laborantibus pronuntiavit: *Quid hic statis tota die otiosi* (7)? Amplectemur immo libentius quam Summo Ecclesiæ Pastori Eugenio III. præmisit suggestionem Bernardus: *Antecessores tui Apostoli audierunt; quia messis quidem multa, operarii autem pauci. Paternam tibi vindicato hæreditatem; nam si filius, & hæres. Ut probes te hæredem, evigila ad curam, & non otio torpeas; nè & tibi dicatur: Quid hic stas tota die otiosus* (8)? . . . *Etsi enim illi laborarunt, non tamen totum elaborarunt, & adhuc locus est ... Quam multæ, quas putaveras fruges, diligenter inspectæ vepres potius apparebunt? Immo ne vepres quidem: annosæ & veternosæ arbores sunt, sed non profecto fructiferæ*,

(1) Osee 8. 4.
(2) Luc. 22. 26.
(3) Ibid. 27.
(4) 2. Cor. 11. 23.
(5) S. Bern. de Consid. Lib. II. Cap. VI. §. 12.
(6) Cor. 6. 14.
(7) Matth. 20. 6.
(8) Ibid. §. 9.

ræ, nisi forte glandium, & siliquarum, quas porci manducant? Quousque occupant terram? Nonne si exis, & cernis ista, pudebit otiosam jacere securim: pudebit sine causa falcem apostolicam accepisse (1)?

4. Nulla ergo in Nobis mora est, Fratres, ignavia nulla: ecce manus nostras ad sarculum, ut vineam nobis creditam excolamus; utque ad expetitos a Domino collectionis tempore fructus eamdem preparemus. Pabula jam grex, ad quæ, ductore Domino Jesu, ipsum cogere conabimur, cognoscere incipiat. *Si evangelizare pascere est*, juxta eumdem Bernardum (2), non erubescemus Evangelium; opus immo Evangelistæ, secundum Apostoli monita, cunctis diebus, quibus vobiscum militabimus, incessanter faciemus. Tantum, ut Pastoris vocem non modo non refugiatis, sed qua animi reverentia, humanitate, honore audienda a filiis est, complectamini in Domino poscimus. In humilitate nostra inspicite potius pro quo legatione fungamur, cujusque pertractemus negotia: a mente numquam dilabetur, dum Vos Fratres Filiique dilectissimi, alloquimur, Ignatii Martyris ad Trallianos præclara sententia (3): *Cum Episcopo subjecti estis, ut Christo, videmini mihi non secundum homines Deo vivere, qui propter vos mortuus est . . . Necessarium itaque est, quemadmodum facitis, ut nihil sine Episcopo agatis*: & ut ipsemet Smyrnenses admonuit: *Omnes Episcopum sequimini, ut Jesus Christus Patrem* (4).

5. Ad Vos modo primum Noster est sermo Metropolitanæ Nobis dilectissimæ Ecclesiæ ornatissimi Canonici, Fratres, Consiliarii, amplissimus Senatus Pastoris & Episcopi Vestri: gaudium, corona, levamen, præsidium Nostrum. Negotium per Nos peragendum laboris summi, magnæque industriæ est; nec, nisi facta sæpius magna perquisitione inter Fratres, utiliter gestietur. Id ita Nobis ab initio alte resedit, ut Cyprianum imitari constituerimus, qui a sui Episcopatus exordio hanc sibi voluntariam indixerat le-

(1) S. Bern. de cons. Lib. II. cap. 6. §. 12.
(2) Ibid. Lib. III. cap. 3. §. 3.
(3) N. 3. & 4.
(4) N. 8.

legem, nihil in Ecclesiæ gubernatione sine sui Senatus consilio adgredi, nihil moliri: *Ad id vero, quod scripserunt mihi compresbyteri nostri* (Donatus, Fortunatus, Novatus, & Gordius) *solus rescribere nihil potui, quando a primordio Episcopatus mei statuerim, nihil sine consilio vestro privatim sententia mea gerere* (1). Sed quomodo viribus imbecillitatis Nostræ in tanta re fideremus, qui a Beato Hieronimo imitationem Moysi per Episcopos habendam esse audivimus, a quo, etsi ille, adstante sibi Deo in ducatu Populi, sufficientissimus esset, septuaginta Seniorum adhibitus est Senatus, qui secum simul Populum judicarent? *Noverint Episcopi . . . in commune debere Ecclesiam regere, imitantes Moysen, qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus populum judicaret* (2). Denique, ut cetera Ecclesiæ monumenta missa hic faciamus, prudentiam Canonum, ab Alexandro III. Patriarchæ Hierosolymitano patefactam, oblivisci numquam poterimus: *Novit tuæ discretionis prudentia, qualiter tu, & Fratres tui unum corpus sitis; ita quod tu caput, & illi membra esse probantur: unde non decet, te, omissis membris, aliorum consilio in Ecclesiæ tuæ negotiis uti* (3). Et iterum ad eumdem: *Fraternitati tuæ mandamus, quatenus in concessionibus, & confirmationibus, & aliis Ecclesiæ tuæ negotiis fratres tuos requiras, & cum eorum consilio, vel sanioris partis eadem peragas, & pertractes; & quæ statuenda sunt statuas, & errata corrigas, & evellenda dissipes, & evellas.*

6. Vos, Vos in Capitulo Nostræ Metropolitanæ Ecclesiæ collecti, Fratres, Senatus istius, & Presbyterii, quem Episcopum in consiliis adhibere ecclesiastica jura sanxerunt, nomenque, locumque Vobis hodie vindicatis. *Nec ambigi certe potest*, inquit disciplinæ Ecclesiæ peritissimus Tomassinus (4), *quin novo etiam*

jure

(1) Epist. 5. ad Presb. & Diacon.
(2) Hier. in Cap. 1. Epist. ad Tit.
(3) In Cap. *Novit* de his quæ fiunt a Præl., & seq. Cap. *Quanto*.
(4) De Benef. Part. 1. lib. 3. cap. X. §. VI.

jure Canonici haberi debeant Consiliarii, *ut vocant*, *nati Episcoporum*; idemque Canonistæ omnes consentiunt (1). Vos itaque prima gregis nostri præsidia, Ecclesiæque dilectæ Seniores in Domino hortamur, ne vigilias Civitatis, vineæque Domini Sabaoth custodiam deseratis. Nobiscum arma incessanter conferte; arma vero militiæ non carnalia; sed quæ contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus, cum quibus Nobis colluctatio est, quæque in omni patientia, & doctrina victoriam expromittere poterunt, Nobiscum conglutinate. Pernecessaria Nobis, & Jesu Christi Ovibus fides vestra est, sapientia, labor, industria, exemplum: omnia hæc, ut proprium dignitatis vestræ patrimonium, induite, & altius in dies cordi committite: *Conversatione*, *sermone*, *scientia commisso Nobis populo Dei præite* (2). Exemplar sit vita vestra Christiano populo ad imitandum propositum: in Vobis novi Ministrorum Ecclesiæ nostræ frutices charismata semper meliora, quæ æmulentur, inveniant: admirentur omnes, per Vos honestatem Clericalis vitæ, & habitus, juxta perantiquos Neapolitanæ Ecclesiæ mores, diu sustineri: nullum in Ecclesia, nisi ex bonis meritis, non acceptantes personas, sed militiæ stipendia intuentes, præ aliis diligere, atque in honorum partitione præferre videamini. Laudis denique Sacrificium, quod ipsius Ecclesiæ nomine quotidie Deo immolatis, ita per Vos offeratur, ut adstantes Fideles ædificet, eosque orationibus ad Deum ipsum assurgere faciat; & a Deo vicissim beneficia, ad quæ obtinenda est institutum, pro omnibus impetret, exportetque. Sit uno verbo semper ob oculos persona, quam sustinetis; nomen, quo decorati estis; munus, quod subiistis: commendate menti illam, qua ad virtutem suos Tangrenses Canonicos Radulphus excitabat, regulam: *Cum sacri Canones sint custodiendi*, *apud vos tamen*, *qui ab illis Canonicorum nomen vindicastis*, *ab Ecclesia specialiter depositi sunt* (3).

7. Ad

(1) Bened. XIV. de Syn. Lib. XIII. cap. 1. n. 9. V. etiam Mabillon. T. II. Annal. Benedict.

(2) Trident. Sess. 14. de Reformat. in Proem.

(3) 5. L. de Can. abs. prop. 3.

7. Ad Vos etiam convertimur, qui animarum curam sustinentes in partem Nostræ sollicitudinis introistis, & Cooperatores Nostri facti estis. Si Vobis talenta sua committere non dubitavit Familiæ Dominus negotiationi tradenda: Si vineam locavit colendam tempore suo fructus utique reddituris: Si servos fideles Vos elegit, quos super familiam suam custodiendam, alendamque statueret: Quidni forma facti gregis, ipsomet adjutore, utiliter negotiemini, dum veniat; fructus sexagesimos, centuplosque reddatis; audituri & Vos retributionis tempore: *Fidelis servus, & prudens*: *Beatus servus, quem cum venerit Dominus ejus, invenerit vigilantem?* Nonne hæc gratissima sunt, ut ab opere non discedatis? Immo nonne urgentissima, quæ sollicite, instanter, permanenter per Vos impleantur? Sed formidandum etiam Vobis est onus impositum; nec, nisi solerter adlaborantibus, illius obligationibus fungi datur. Nonne, si ovis perierit Pastoris desidia; si parvulis petentibus panem, non fuerit, qui frangeret eis; si e vitiorum cœno non reducantur errantes obsecrationum, objurgationumve defectu; si denique demoliatur vinea, eo quod aper de sylva, nullo vigile, facilem habuerit ingressum; hæc omnia in Pastoribus, malos male perdendo, vindicabit Dominus? *Inferiorum nempe ordinum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quam ad desides, negligentesque Rectores* (1).

8. Verbis igitur Œcumenici Tridentini Concilii utentes, hortamur, Fratres, quemque *oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere; pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cetera munia Pastoralia incumbere . . . Memores præceptorum divinorum, factique forma gregis* (2). Illud præsertim sedulo vigiletis exoptamus, ne pestifera aliqua novarum opinionum ementitæ philosophiæ lues inter creditas Vobis oves irrepat, ceteras vel damnatorum librorum lectione, vel novorum dogmatizantium consuetudine corruptura. *Expurgate vetus fermentum,*

(1) S. Leo. Epist. 86. ad Nicæt.
(2) Trid. Sess. 23. de ref. Cap. 1.

auferte malum de medio Vestri ; *idest venenatos libros ab oculis gregis magna vi* , *ac sedulitate extorquete* ; *animos autem infectos prompte* , *fortiterque segregate* , *ne sint ceteris nocumento* : Admonitionem arripuimus , qualem prævidentissimus b. m. SS. Pontifex Pius VI. sui Pontificatus initio ad Ecclesiarum Pastores omnes direxit : & utinam, qualem tunc exoptavit ille , obtinuisset effectum ! Sarcta tecta sane cuncta in Ecclesia extarent .

9. Ad Vos modo epistola hæc Nostra excurrit Presbyteri , Diaconi, Sanctuarii denique omnes Ministri . In sortem Domini vocati, partem hæreditatis vestræ Dominum a prima inter Clericos adscriptione elegistis; memores conditionis vestræ illam tenete. Inter Christianam Plebem degentes, debitores illi estis, ut non carne viventes, sed spiritu facta carnis mortificantes , Christianæ vitæ, & perfectionis nitidissimum in vita vestra habere possit speculum . *Nihil enim est*, Tridentini Patres ajebant (1), *quod alios magis ad pietatem* , *& Dei cultum assidue instruat* , *quam eorum vita & exemplum*, *qui se divino Ministerio dedicarunt* : *cum enim a rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur*, *tamquam in speculum reliqui oculos conjiciunt* , *ex iisque sumunt*, *quod imitentur*. Vitam itaque, moresque vestros ita componatis oportet, *ut habitu*, *gestu*, *incessu*, *sermone*, *aliisque omnibus rebus*, *nihil*, *nisi grave* , *moderatum*, *ac religione plenum præseferant*; *levia etiam delicta*, *quæ in vobis maxima essent*, *effugite*, *ut actiones vestræ cunctis afferant venerationem*.

10. Missæ Sacrificium per Sacerdotes , non nisi maxima adhibita cura, & *omni religionis cultu* , *ac veneratione pertractetur* : si enim fatendum *nullum aliud opus adeo sanctum*, *ac divinum a Christifidelibus tractari posse*, *quam hoc ipsum tremendum mysterium*, *quo vivifica illa hostia* , *qua Deo Patri reconciliati sumus*, *in Altari per Sacerdotes quotidie immolatur*; satis etiam apparet omnem operam, & diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditie, & puritate, atque exteriori devotionis, ac pietatis specie peragatur (2) . Sacra-

(1) Sess. 22. de Ref. cap. I.
(2) Ibid. Decret. de observ. & evitand. in celebrat. Missæ.

cramentum insuper auricularis Confessionis ad exterminanda a Fidelium conscientiis peccata tractantes, mementote illam Ecclesiæ Catholicæ œconomiam, cum primitus ab Episcopis talis administrationis participatio ad Sacerdotes pertransiit: *Presbyterum*, ait Ecclesiasticarum rerum primi ævi Scriptor Sozomenus (1), *vitæ integritate spectabilem, secretorum tenacem, & sapientem huic muneri præfecerunt*: nec inde umquam per temporis longævitatem, aut Ministrorum multiplicationem mentem hanc suam immutavit Ecclesia. Judicem namque, medicumque animarum Confessarii sustinent, dum Confessiones excipiunt; delictis ergo, de quibus decernere habent, non irretiantur; judicium incognita causa non proferant; medicinam, non nisi bene comperto vulneri, non adhibeant; reum absque pœna, quæ & vitæ prioris satisfactio sit, & posterioris custodia, non dimittant. Honoretur Deus, justificetur homo peccator, sine acceptione personarum (quæ in hoc administrando Sacramento præsertim ut pestis evitetur) partes Mediatoris serventur. Monitum autem volumus, quod in sua *Encyclica de præparatione ad annum Universalis Jubilæi Benedictus XIV.*, super opinionum in casibus dubiis delectu, pro Confessariis præcipuæ adnotavit: *Sat erit Confessarios monuisse, ut in re dubia propriæ opinioni non innitantur; sed antequam causam dirimant, libros consulant quamplurimos, eos cum primis, quorum doctrina solidior; ac deinde in eam descendant sententiam, quam ratio suadet, ac firmat auctoritas*. Aliorum etiam Sacramentorum, & Verbi divini administratio, ea, qui par est, dignitate, honore, reverentia per Vos perficiatur, ut non apud prophanos Christi hostes *vituperetur Ministerium nostrum*.

11. Nec Vos Monachorum, Cenobitarumve, aut Clericorum Regularium, non parva Ecclesiasticæ militiæ pars, oratio nostra præteribit. Decorem, splendoremque intuemur, quem Reginæ Christi Sponsæ, quæ *vestitu deaurato circumdata varietate* amicta est, hæc vestra Christianæ vitæ instituta addiderunt. Quomodo taceremus, quod ubi primum Paulus, Antonius, Hilarion Monasticæ professionis fundamenta in Ægypto, & Palestina po-

(1) Lib. 7. Cap. 16.

suerunt (1), innumerabiles hominum multitudines Evangelicorum consiliorum observantiam, quod vix prius aliquis audebat, turmatim professi sunt? *Quis nescit*, inquiebat suo tempore Augustinus (2), *summæ continentiæ hominum Christianorum multitudinem per totum Orbem in dies magis, magisque diffundi, & in Oriente maxime, atque Ægypto, quod vos nullo modo potest latere?* Mundi namque contemptus; vix ad sustentandam vitam sufficiens, isque vilissimus cibus; pœnitentiæ asperiores, & vigiliæ in longam noctem protractæ; assiduæ æternarum rerum meditationes in vitæ humanæ institutum pertransire sunt visæ. Ista de se, & S. Basilio Monasticam colentibus vitam testatur Gregorius Nazianzenus (3): *Hinc illi tunica una, & Pallium unum, & stratus humi lectus, vigiliæ, & suavissimæ cœnæ panis & sal, quod utriusque nostrum studium fuit.* S. Hieronimus lætabatur Romæ, postquam Virorum, Mulierumque Monasticam vitam agentium domus ipso auctore sunt conditæ, in gloriam pertransisse profiteri, quod prius in ignominia fuerat. *Suburbanus vobis ager*, scribit ad Principiam (4), *pro Monasterio fuit, & rus electum pro solitudine, multoque ita vixistis tempore, ut ex imitatione vestri, conversatione multorum, gauderemus Romam factam Jerosolymam. Crebra Virginum Monasteria, Monachorum innumerabilis multitudo; ut pro frequentia servientium Deo, quod prius ignominiæ fuerat, esset postea gloriæ.*

12. Sed sibi soli postquam aliis non est visum vivere Monachis, actuosam in meditationibus vitam, ut ceteris quoque Fidelibus salutis adjumento essent, & dum sibi consulerent, alios non negligerent, prætulerunt. Hos inter ipse præfulsit Hieronimus, cujus pœnitentiæ, virtutumque omnium expletissima vita, ut & singularis doctrinæ laus Doctoris maximi nomen ei in Ecclesia rectissima obtinuerit opinio: *Media*, inquit ipse (5), *inter illos,*

(1) Hieron. de Antiquit. Vit. Monast. V. Tomassin. de Benef. Part. I. Lib. III. Cap. 12.
(2) De moribus Eccl. Catholicæ Cap. 31.
(3) Orat. 20.
(4) Epist. ad Princip.
(5) Hieron. in Carmine de Vita sua.

illos, hosque procedo via; meditans ut isti, commodum illorum emulans. Hujusmet Monasticæ vitæ paululum immutata ratione, ut nempe comitibus adhibitis vicaria relatione virtutis studium se augeret, methodum elegit sibi Augustinus. *Placuit ei*, scribit in vita ipsius Possidius (1), *percepta baptismi gratia cum aliis civibus, & amicis suis, Deo pariter servientibus ad Africam, & propriam domum, agrosque remeare. Ad quos veniens, & in quibus constitutus ferme triennio, & a se jam alienatis curis sæcularibus, cum iis, qui eidem adhærebant, Deo vivebat, jejuniis, orationibus, bonisque operibus, in lege Domini meditans die, ac nocte.* Illam, & Monachis profectum proprium exquirentibus, & in Ecclesiæ cultura simul elaborantibus, Monasticam professionem sibi excepit, expolivitque Pater Occidentalium Monachorum Benedictus, quem, teste Gregorio Magno (2), *tantus fervor ad colligendas Deo animas accenderat, ut sic Monasteriis præesset, quatenus per Ecclesias, per Castra, per Vicos, per singulorum quoque Fidelium domos circumquaque discurreret, & corda audientium ad amorem Patriæ cœlestis excitaret.* Horum fuere deinde vestigia secuti Franciscus, Dominicus, & qui omnes Clericalibus Monastica instituta intexuerunt, ut Matri Ecclesiæ Ministros fideles, qua virtutibus sublimioribus exercitos, qua sollicite hominum salutem inquirentes, suppeditarent.

13. Sed quid, si a Patrum tam bene signata semita Regulares modo deflecterent? Si negotiis sæcularibus, Mundique rebus, quas gloriose aliquando posthabuerunt, se rursum implicantes, iis inhiare videantur? Si denique propositi sui, votorumque emissorum obliti, statum sæcularem appetant, priorem conditionem inquirant, superfluitates jam proculcatas sectentur? Ehu, dolenda nimis dierum nostrorum conditio! Ehu, quot fucatarum desertionum prodigiosa portenta! Augustinus quidem ægerrime tulit, quod ab Aurelio Carthaginensi Archiepiscopo ad Ordines, Clericatumque admissi essent Monasteriorum desertores, quamquam ne gregi quidem Monachorum, cui adscripti primum fuerant, adhærescere

 po-

(1) Cap. 3.
(2) Dialog. L. 1. c. 4. V. et. Lib. 2. c. 8. 9.

potuissent (1): *Non est via danda Servis Dei*, scribebat ille (2), *ut se facilius putent eligi ad aliquid melius, si facti fuerint deteriores. Et ipsis enim facilis lapsus, & Ordini Clericorum fit indignissima injuria; si desertores Monasteriorum ad militiam Clericatus eligantur; cum ex iis, qui in Monasterio permaneant, non tamen nisi probatiores, atque meliores in Clerum assumere soleamus*. Rationem autem sic reddit sanctus Doctor: *Cum aliquando etiam bonus Monachus vix bonum Clericum faciat, si adsit ei sufficiens continentia, & tamen desit instructio, aut personæ regularis integritas*. Inde etiam Gregorius Magnus Gallicanum Episcopum hortabatur, ne Claustro abstraheret Monachum, cui prius Clericatum, deinde Diaconatum in suo Monasterio contulerat: ut qui a turbulento sæcularium curarum tumultu se segregans, quietis desiderio portum Monasterii appetiit, rursus in Ecclesiasticarum curam non debeat perturbationibus implicari; sed in Dei laudibus permittatur securus ab his omnibus remanere (3). Matrem igitur quisque Vestram, quæ Vos inter Ecclesiæ commilitones peramanter genuit, studiose aluit, laboriose æducavit, diligatis in Christo Jesu flagitamus. Cuncta leviora Vobis succedent, apparebuntque, si ad primum per Vos conceptum charitatis fervorem attendentes, non evacemini in plura, eaque inutilia. Omnia vero gregi Nostro bene evenient, si omnes Regularem institutionem ex corde amplectentes, eam in Vobis perficietis. *Exhortamur* itaque omnes cum Augustino (4) *in Domino, ut propositum vestrum custodiatis, & usque in finem perseveretis. Ac si qua operam vestram Ecclesia Mater desideravit, nec elatione avida suspiciatis, nec blandiente desidia respuatis*.

14. Vos quoque primæ Nostræ curæ prospiciunt, quæ in foraminibus Petræ, consortia hominum, diluviique ingluviem evadentes, habitatis Columbæ: quæque deliciæ Sponsi Cœlestis, ornamentum Ecclesiæ, Pastoris gaudium, gregis Christi denique pars estis electa. Quibus Vos modo præconiis magis, quam exhorta-
tio-

(1) Tomass. de Benef. P. 1. Lib. III. Cap. XIII. §. 8.
(2) Epist. 76.
(3) Lib. 10. Epist. 19.
(4) Epist. 85.

tionibus afficiemus? Elegiſtis abjectas potius eſſe in domo Dei, quam habitare in domibus laqueatis: omnem allicientis Mundi vanitatem, inſidiarumque ejus ruinam probe inſpicientes, ſolitudine vitæ, rerumque cœleſtium contemplatione commutaſtis: Parentum, cognatorumque conſuetudinem familiaritate Chriſti Domini, qui Vos ſibi in ſempiternum deſponſavit, poſthabuiſtis. Compellam ergo Vos Hieronimi verbis, quibus Imperatoris Mauritii filiam, talia & ipſa proſecuta, in ſuſcepto propoſito confirmabat (1): *Agnosce ſtatum tuum, agnosce locum, agnosce propositum: Chriſti sponsa diceris, vide ne quid indignum ei, cui desponsata esse diceris, admittas*. Abſcedant a mente, removeantur a corde quæcumque ſæcularibus rebus implicant cogitationes: *Ubi enim in pectore virginali sæcularium negotiorum cura æſtuat, sponsus consurgit iratus, & dicit; relinquetur vobis domus veſtra deserta* (2). Unanimes invicem habitetis, nec aliquid ſit, quod charitatem omnia ſufferentem, omnia ſperantem, omnia ſuſtinentem obnubilare queat in Vobis; ſiquidem *habitantibus in domo Dei debet esse anima una, & cor unum in Deo: nihil namque prodeſt, quod Vos conjungat una domus, si separet voluntas diversa* (3). Reddite fideliter Deo vota veſtra juxta conditiones in deſponſatione admiſſas. Nulla reperiatur, quæ levitate animi magis, quam electione propoſiti; pertæſa potius contubernio, quam perfectione conditionis allecta, de domo in domum permeare, Regulam alteram profiteri, Sororibus aliis conglutinari pertentet. Manete in ea vocatione, in qua primitus eſtis vocatæ; Eccleſiæque exemplo vitæ, virtutum evangelicarum nitore, ſupplicationibus, precibusque ad Tronum gratiæ prolatis opitulemini.

15. Poſt perſonas Deo ſacras Vos alloquimur, qui eminentiorem in Eccleſiæ Populo obtinetis locum, ſancta Regni jura dicentes, juſtitiamque Pientiſſimi Regis per Tribunalia adminiſtrantes, Togati Miniſtri. Perſuaſa Nobis, perſpectaque immo eſt morum veſtrorum integritas, doctrina, ſtudium; ut in judiciis, juſtitia

(1) Epist. 14. ad Fil. Mauritii.
(2) Id. Epist. 22. ad Eustoch. de custod. virginit.
(3) S. Bernard. de modo vivendi ad Sorores.

justitia semper & veritate comite, quod suum est cuique tribuatur; inauditus, indefensusque nemo discedat; sententia numquam, nisi ex integra causæ cognitione, proferatur. Sed *hæc quoque Sapientibus* cum Salomone (1) addemus : *cognoscere personam*, vel ut hæbreus textus habet; *cognoscere faciem in judicio, non est bonum:* Qui enim cognoscit in judicio faciem, a facie Dei utique stare non poterit (2), *qui acceptor personarum non est*. Judicate inopem, & pauperem, sed *decernite quod justum est* (3); vobis enim derelictus est pauper, & orphano nullus est præterea adjutor (4): *Justus de angustia* per Vos liberetur, *& impius tradatur pro eo* (5); *in perditione impiorum erit enim laudatio* (6). *Statera dolosa* in judiciis vestris numquam reperiatur (7): *pondus & pondus, mensura & mensura*, variabile nempe super eadem re judicium, studio placendi hominibus, apud Vos non consistat; *utrumque enim abominabile apud Dominum*; *& pondus æquum voluntas ejus* (8): Simulationem, ubicumque contingat consilium Vos præbere, cane pejus & angue cavete; etenim *simulator ore decipit amicum suum* (9). *Clementia* denique anteeat gressus vestros; illa namque sicut *præparat vitam* (10); sic & assimilabit Vos ei, cujus vices Vos quoque inter homines geritis.

16. Populum demum omnem ad dilectam Ecclesiam Nostram quovis titulo pertinentem paterne in visceribus Jesu Christi complectimur: Populum nempe *acquisitionis* nomine refulgentem, *adoptione filiorum Dei* insignitum, sanguine *immaculati Agni* purgatum, *beatam revelationem gloriæ Magni Dei* expectantem, benignitate, divitiis, ubertate æternæ domus Dei coronandum. Id verum. Quisque propterea militiam, cui nomen dedit fideli-ter

(1) Prov. 24. 23.
(2) S. Bernard. de Consid. Lib. 1. V. Cornel. a Lapide loc. cit.
(3) Prov. 23. v. 9.
(4) Psal. 9. 38.
(5) Prov. 11. 8.
(6) Ibid. v. 10.
(7) Ibid. v. 1.
(8) Ibid.
(9) Ibid. v. 9.
(10) Ibid. v. 14.

ter secutus in gradu suo consistat legitime pugnaturus. Maximum omnium in Baptismate, Filii, beneficium a Deo accepistis, *pro quo Apostolus gratias Nos agere semper hortatur Patri, qui dignos Nos fecit in partes sortis Sanctorum in lumine, & eripuit de potestate tenebrarum, transtulitque in Regnum Filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem, & remissionem peccatorum* (1). Ast quid, si desidia, vel etiam (proh scelus, sed hac tempestate non rarum!) pudore Christiani nominis affecti tantum beneficium dilabi patiamini, ut hominibus potius, & non Deo placeatis? Retributionem sane, quam sibi expectabat Paulus, *coronam justitiæ*, operibus gratiæ ope comparatis debitam, nuncupabat (2): futuri gaudii, & exultationis, quibus corda discipulorum demulcebat Christus, omnis ratio in *mercede reposita eis in cælis* (3) refundebatur: *ad hæreditatem* denique Dei cum Christo, nonnisi expletis testamenti conditionibus, perveniemus: *Si Filii, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; si tamen compatimur, ut & conglorificemur* (4): item; *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui* (5): & rursum: ***Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide*** (6). Qui enim misericors Deus gratuito vocavit Nos, abluit, sanctificavit signans, & ungens Spiritu promissionis Sancto (7), non patietur in æternam requiem ingredi, aut in nuptiali assideri convivio, nisi vestitos veste Nuptiali; virtutibus nempe, bonisque operibus cumulatos.

Compellam ergo Vos, Filii carissimi, ejusdem Pauli urgentissima illa commonitione, quam ad Colossenses scribens adhibuit (8): *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite . . . quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo . . .*

Mor-

(1) Trid. Sess. *6.* de justif. Cap. 3.
(2) Ad Timoth. 4. 8.
(3) Matth. 5. 12.
(4) Roman. 8. 17.
(5) Ibid. v. 29.
(6) Jacob. 2. v. 5.
(7) Trid. Sess. *6.* de Justificat. cap. 7.
(8) Ad Coloss. cap. 3.

Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam, quæ est simulacrorum servitus; propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis; in quibus & Vos ambulastis aliquando, cum viveretis in illis. Nunc autem deponite & Vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. Hanc divinam Doctoris gentium exhortationem sibi præcipue arripiant, qui iracundiæ indulgentes, vel morum corruptelæ sermonem suum componentes, *in Cœlum ponere audent os suum*, Deumque, qui in Sanctis ejus nonnisi laudandus ab hominibus, honorandus, colendusque est, execrabilibus blasphæmiis appetunt, ac veluti de sua gloria exturbare per se contendunt. O insipientium hominum audacia! O audacissima hominum insipientia! *Cui ergo similem fecistis Deum* (6), ut putetis aliquid de illius gloria impiis maledictis subtrahi; aut saltem super ipsis maledicentibus ipsum non glorificari? *Magnus Dominus est, & laudabilis nimis*, cujus virtus opinione non clauditur, locis non continetur, temporibus non subditur (7); quique etiam de his, qui faciunt quæ non vult, facit quod vult; cum non exaltata ejus misericordia in hominum salvatione, suam in punitione impiorum superexaltat justitiam.

17. Juvenes similiter, quorum ætas naturæ in malum ruenti nimis indulgens, eos in perniciem non raro trahit, hæc Apostoli monita semper præ oculis habeant; voluptates, desidiamque vitæ effugiant; nimio corporis nitori, vanitatique, quæ virili animo indecens, indignaque est, non indulgeant. Socios, qui Vos a moribus, & religione Patrum abstrahere nituntur, ut hostes, Filii dilectissimi, odimini: Libros, qui institutionem, quam in Ecclesiæ sinu addidicistis, absque ulla mora, ut primi Fideles auctore Paulo effecerunt, comburite: Laborem quisque, industriamque suam in Domino semper prosequatur; ut semper in Domino proficiatis.

18.

(6) Is. 5. 18.
(7) S. Hilar. in Psal. 44.

18. Mulieres sæculares demum hisce Nostris litteris comprehendi muneris Nostri ratio postulat. Per mulieres enim fideles, ut ab Apostolo Paulo accepimus, infideles viri sanctificantur; per eas familiæ Christianorum virtutibus informantur, pietate foventur, & roborantur; filii in Dei amore nutriuntur; cognatique omnes per eas beantur. Hæc nempe ideo; quia *mulier gratiosa inveniet gloriam* (1). Ast heu in quas cogitationes pervenimus! quæ hic Nobis illugenda sunt mala! Nonne, quæ olim de *meretrice* Salomon proferebat, hæc de cujusque mulieris vestitu, & incessu in Civitate apprime quadrare noscuntur: *insidiatur in via quasi latro, ut quos incautos viderit, interficiat* (2): *fovea est, & puteus*, a quo vix sibi caventes viri evadant innoxii. Quæ olim virtutes in mulieribus, apud Nos in abolenda vitia transierunt: Matres, ut plurimum, specie consuetudinis *in filiabus suis luxuriantur*; privatæ domus omnibus aperiuntur; familiares diversi sexus allocutiones, ludi, saltationes ubique per domos amplectuntur, & omnibus patent. Custodia virginum jam desuevit; pusillorum scandalum a moribus recessit; innocentia vitæ ubique auditur, mundusque totus vitiorum se volutat cœno.

19. Ad omnes igitur ultima hæc Nostra spectabit pagina: dicite, Filii Filiæque in Domino dilectissimi: Quid est amplius Vobis cum Diabolo, cui in baptismo renuntiastis? Quid cum operibus ejus? Quid cum pompis ejus? Reducite illud verbum in mentem, quod Vos, vel pro Vobis aliquis coram Ecclesia publice, aperte, solemniter protulit, *abrenuntio*. Symbolum fidei, a Vobis tunc recitatum, sanctum a dogmatibus sæculi, purumque custodite. Nonne respondentes illud, *volo* baptizari baptismo Christi, voluntarie illum suscepistis? *Vestem igitur candidam, quam immaculatam perlaturos ante Tribunal Domini nostri Jesu Christi, ut habeatis vitam æternam*; *lampadem charitatis ardentem, ad irreprehensibiliter custodiendam baptismi gratiam, servando mandata Dei*, omni cordis affectu, ut eas vobis tradidit Ecclesia, fortiter tenete; ut, *cum Dominus venerit ad Nuptias, possitis* oc-

(1) Prov. 11. v. 16.
(2) Prov. 23. v. 28.

occurrere ei, una cum omnibus Sanctis in aula cæleſti, habeatisque vitam æternam, & vivatis in ſæcula ſæculorum. Amen (1).

Quod nunc ſupereſt, Fratres, Filiique dilectiſſimi, manus ad Cœlum, unde Nobis omne auxilium veniet, levantes, Patrem miſericordiarum, totiusque conſolationis Deum, per ſempiternum Pontificem, Fideique noſtræ Auctorem & Conſumatorem Chriſtum Jeſum, exoramus; ut benedictionibus ſuis, dando omnibus affluenter, dignetur ipſe Eccleſiæ ſuæ Caput viſibile, in ædificationem totius Corporis, cuſtodire, augere, perficere, ut aliquando cum Sanctis ſuis dignetur & coronare: Ferdinandum IV. item invictiſſimum, quem ipſemet dedit Nobis amantiſſimum Regem, quemque virtutum exemplar, Religionis Patronum, Populi ſui Patrem eſſe voluit; Reginamque conjugem, viro Regi non imparem, cum juventutis Principe, & reliqua bene, ſancteque morata eorum Familia, greſſus illorum in via a ſe diſpoſita dirigendo, fortiterque ſuaviterque omnia eorum conſilia a fine uſque ad finem attingendo, & cuncta opera præveniendo, concomitando, perficiendo, felices, tranquillos, glorioſos inter Nos tueri velit; tandemque ad Regnum *puſillo gregi electorum a conſtitutione Mundi paratum*, poſt exactam in ejus timore, qui omnis ſapientiæ vere initium eſt, mortalem vitam, clementer transferre: Nos denique omnes in bonitate magna reſpiciendo dicat, faciatque, ut *diligentibus eum omnia cooperentur in bonum* (2), atque quietam hic, & tranquillam vitam agamus, pace perfruamur, & fidei incrementum, matris Eccleſiæ quietem, bonaque denique omnia adipiſcamur, quæ æternorum conſecutione poſtremo perficiantur. Hæc ita adprecamur, dum Paternam hanc Vobis benedictionem ex animo impertimur. *Gratia Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus ſit cum omnibus Vobis* (3).

Datum ex Noſtro Archiepiſcopali Palatio XIII. Kalendas Octobris, die Beato Januario sacra, anni MDCCCII.

(1) Ritual. Rom. de Sacr. Baptism.
(2) Rom. 8. 28.
(3) II. ad Corinth. 13.